

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

In die festo B. Thomae apostoli

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

uxorem ejus esse, statim ille de nocte resurgens fecit, quæ Deus eum jussit, Gen. 20. v. 3.

Idem nos quoque faciamus. Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te, Sir. 5. v. 8.

Hoc qui insuper habet, & in peccatis

suis præfractè pergit, videat ne à morte subitanea præreptus, in æternum exitium præcipitetur, ubi nulla amplius gratia speranda est: sed damnati sicut oves in inferno positi sunt, mors depascit eos, Psal. 49. vers. 15. ex inferno enim nulla redemptio.

Avertat hoc Clementissimus Pater, per & propter Christum, Amen!

IN DIE FESTO B. THOMÆ APOSTOLI.

Evangelium Joh. 20. v. 24 -- 29.

EXORDIUM.

CUm Jacobo Patriarchæ, filii ejus lætum illud nunciium afferrent, quod filius Josephus adhuc in vivis esset, dimisit id cor ejus, quia non credebat eis, licet omnem ordinem rei referrent, donec videbat plaustrum, quæ miserat Josephus. Tùm revixit Spiritus ejus, & ait: Sufficit mihi, si adhuc filius meus vivit: vadam & videbo illum, antequam moriar, Genes. 45. v. 26. & seqq.

Josephus *typus Christi* fuit.

Sicut enim fratres ejus infidi in Egyptum eum venderunt, ubi multa perpeffus est, dum eum Deus exaltavit, & Pro-Regem Egypti fecit: Ita & Judæi Christum tractarunt, qui tamen fratres ejus quoad carnem erant, salus enim è Judæis oriunda erat, Joh. 4. v. 23. sed Deus eum tandem exaltavit & constituit ad dexteram suam in cælestibus, super omnem principatum, & potestatem & virtutem &c. Eph. 1. v. 21. seqq.

Jacobus fidem suspendebant, auditò, Josephum adhuc vivere: semper enim in opinione eâ erat, à bestia discriptum eum esse, ut filii ejus degeneres ipsi persuaserant: Ita & Apostoli resurrectionem Christi credere non poterant, quia spectaverant, quàm crudeliter à Judæis tractatus esset: sed videbantur illis novella hæc, *ὡσεὶ ἄνθρωπος*, Luc. 24. v. 11. dum Christus ipse manifestaret se illis, ut eum oculis suis cernerent, auribus audirent, manibus tangerent, sicut in specie Thomas adeo incredulitati immerfus erat, ut diceret: Nisi videro in manibus ejus vestigium clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam. Ubi verò Servator in gratiam ejus altera vice apparebat, & desiderio ejus satisfaciebat, ignorabat, quid præ gaudio diceret, inquiens: Dominus meus, & Deus meus! q. d. Quod si Dominus adeo omnipotens es, ut crucifixioni & mor-

& morti te permittas, & tamen propria virtute ex mortuis resurgas: Dominus & Deus meus eris, tibi confidam, quoad vixero.

Nos Instituti nostri memores videbimus

I. Triplicem Querelam.

II. Triplicem Medelam.

III. Triplicem Cautelam.

J.J.

Exegesis.

CUm Core, Dathan & Abiron adversus Mosen & Aaron seditionem moventes, propterea à terra vivi absorpti essent: Eleasar filius Aaron, iussu Dei thuribula eorum tollebat, in laminas ea producebat, affigens altari, ut commonerentur filii Israel, ne in posterum simile quid auderent, Num. 16. v. 38.

Ita in Ecclesia anniversariè prædicatur de incredulitate Thomæ, ut securitatem fugiamus, quæ prona via est, ad incredulitatem & damnationem. Hinc rectè Bernhardus: Plus nobis prodest Thomæ dubitatio, quam aliorum fides. Quando enim percipimus, quod tantus Apostolus adeo lapsus est, facile cogitare nos possumus: si id factum in ligno viridi, quid fieri in arido? Luc. 23. v. 32.

Querela respicit

I. Congregationis neglectum, de quo Evangelista: Thomas autem unus ex duodecim, non erat cum eis, quando venit Jesus. Quod si cum illis fuisset, & concioni Christi interfuisset, de resurrectione Christi quoque tantum didicisset, quantum reliqui Apostoli, nec adeo profunde credu-

litati immeritus fuisset. Fides enim ex auditu est; quomodo autem audient sine prædicante? Rom. 10. v. 17.

Nos periculo ejus cautius mercari discamus, non desidentes collectionem nostram, Hebr. 10. v. 25. sed alloquentes nos mutuo dicamus: Venite, & ascendamus ad montem Domini, Esa. 2. v. 3. ibi enim audimus verbum, dulcius super mel & favum, & desiderabilius super aurum, & super aurum obrizum, Psal. 19. v. 11. verbum, quod potest salvare animas nostras, Jacob. 1. v. 21. & facientium illud laudatio manet in seculum seculi, Psal. 111. v. ult.

Sed hodiè parum id observatur, plurimi terrenis dediti sunt, cum Poeta dicentes:

O cives cives, quærenda pecunia primum,

Virtus post nummos!

Contra quam Servator mandat: Querite primum Regnum Dei, & justitiam ejus, Matth. 6. v. 33. ideoque non mirum est, Deum maledictione immissa omnia disperdere, juxta illud: Semina stis multum, & intulistis parum, Hag. 1. v. 5. 6.

Qui verò animæ curam habens, in æde Domini sedulo comparebit, benedictionem reportabit, juxta illud, Exod. 20. v. 24.

II. Rationis indultum, quem in Thomâ conspicimus, qui propterea visioni & tactui intendit, fidem inde hausturus, quod tamen proprietati fidei è diametro repugnat, quæ sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium, Hebr. 11. v. 1.

O quot fratres hic Thomas reliquit, qui

qui nihil credere volunt, quàm quod oculis suis vident, & manibus palpant?

Unde est, quod Judæi, Turci, Ariani & Photiniani Mysterium SS. Trinitatis negant? Ratio eos excœcat, dum idem in dubium id vocant, quia ratione comprehendere nequeunt.

Unde est, quod Anabaptistæ virtutem Baptismi infringunt, pertendentes: qui manus aquâ plenâ peccata abluere potest? Unde est, quod multi præsentiam corporis & sanguinis Christi in sacrâ cœna, & ore accipi negant? Quia rationi nimium inhiant.

Aliter se gessit Abraham, quando mandatum à Deo accepit, ut unicum suum filium in monte Moriâ in holocaustum offerret, Gen. 22. v. 2. quod si ille hîc cum ratione deliberare voluisset, facile exceptionem comminisci potuisset. 1. Mandatum hoc repugnabat *opz* parentum, quæ non concedit, ut pater filium suum mactet. 2. contrâ expressum Dei verbum est: Quicumque effuderit humanum sanguinem, sanguis illius effundetur per hominem, Gen. 9. v. 6. 3. contrâ expressam promissionem, quod in semine ejus benedicendæ sint omnes gentes, quam ipsi Deus repetitò fecerat? 4. Sacrificare quandoque idem est, ac Deo se consecrare, eidem se devovere, vide Rom. 12. v. 1. quia itaque tum rationi, tum Dei mandato repugnabat, ut Abraham filium suum mactaret, excipere potuisset, hanc Dei mentem esse, ut exstructo Altari in monte Moriâ, filium suum Deo consecraret, quò is sacrificando & similibus actionibus Deo vacaret.

Verùm omnes has rationis affectiones Abraham seponit, & unicè literæ mandati

divini inhareret. Id Deo aded probatum est, ut promissionem de semine benedictio ipsi renovaverit, & fidem ejus vivum exemplum, & Judæis, & gentilibus proposuerit, Rom. 4. v. 17. Nos vestigiis ejus insistentes, si quid Deus in verbo suo promittit, nullatenus de eventu dubitemus, sed demus gloriam Deo, cum Maria matre Domini dicentes: Ecce, ancilla Domini, Luc. 1. v. 38.

Sanè si ratio in divinis prævaleat, causa & principium variarum hæreseon hoc est. Propterea B. Lutherus rationem comparat eum asinâ, Theologos verò cum Christo, qui asinâ infedit, & verba hæc memoratu digna profert: Imponenda non est asina Christo: sed Christus asinæ. Christus loquatur, ratio taceat, Christus præcipiat, ratio iussa exsequatur.

Quæ miracula in naturâ fiunt, quæ tamen cum ratione minimè concordant? Et tamen quia ex experienciâ certa, credenda sunt, licet omnium rationi id adverteretur.

Aquæ proprietas est, ut fluat. Verùm ubi Deus Israelitas per mare rubrum, & postea per Jordanem ducebat, aqua quasi murus à dextra & lava eorum stetit, ut per medium sicci maris transirent, Exod. 14. v. 22. Jos. 3. v. 16.

Sol & Luna hæc naturâ præditi sunt, ut certum eumque celerem cursum absolvent: sed Josua adversus Amoritas pugnante, consistebant, Jos. 10. v. 12. 13. & una dies facta est, quasi duo, Sir. 46. v. 5.

Ignis natura est, ut omnia, quæ corripit, consumat & in cinerem redigat. Sed cum Sadrach, Mesach & Abednego in fornacem

nacem ardentem conicerentur, viscomburendi à Deo interciperetur, ut ne capillus capitis adureretur, Dan. 3. v. 21.

Ferrum ex natura sua fundum petit: Verùm ad verbum Domini per os Ellisæi egrediens aquæ innatavit, 2. Reg. 6. v. 5.

Videte Dilecti, ita Deus naturæ alligatus non est; sed omnia, quæcunque vult, facit, in cælo & in terrâ, in mari & in omnibus abyssis, Psal. 115. v. 7. Quod si igitur naturæ credimus in eo, quod naturale est: quidni potius Deo crederemus in eo, quod divinum est? Omnis enim creatura, ad suum genus denuò refiguratur, deserviens ejus præceptis, Sap. 19. v. 6.

III. *Incredulitatis abyssum*, in quam Thomas incidit. Non enim credit Deo Patri, qui ab æterno decreverat, ne videret Sanctus suus corruptionem, Psal. 16. v. 10. sed si biberit de torrente in viâ, exaltaret eaput, Psal. 10. v. ult. Non credit Deo Filio, qui toties passionem, mortem & resurrectionem suam inculcaverat, Luc. 18. v. 32. Non credit Deo Spiritui sancto, qui per Prophetas id sapius prædixerat. Non credit Angelis, qui mulierculis ad sepulchrum apparuerant, dicentes: Surrexit, non est hic. Non credit tot testibus fide dignis utriusque sexûs, qui oculis ipsum conspexerant, & manibus contrectarant: sed in hac sua obstinatione perseverat universum obstiduum.

Horrendus hic lapsus est, præsertim in ejusmodi Apostolo, qui ipsius Christi scholam frequentarat, nec modò verba vitæ ex ore ejus audierat, sed & signa & miracula ejus viderat, in specie exemplum Lazari, quem ex mortuis resuscita-

verat, licet quadriduanus esset, & factere inciperet, Joh. 11. v. 39.

Hoc exemplum excitet nos, ut videamus, quomodo cautè ambulemus, non quasi insipientes, sed ut sapientes, Ephes. 5. v. 15. Qui stat, videat, ne cadat, 1. Cor. 10. v. 12.

In specie incredulitas Thomæ nobis sedulo cavenda est, quæ fons & scaturigo est, ex quo cætera peccata omnia derivantur.

Unde est, quod execrationes, maledictiones & blasphemix adeò invaluerunt? inde est, quia non creditur secundo præcepto, in quo Deus, se non insontem habiturum, qui assumserit nomen Domini Dei sui frustra, minitatur, Exod. 20. v. 7.

Unde est, quod Sabbathum tam foèdè prophanatur, & verbum Dei contemnitur? Inde, quia non fides habetur Deo, mandanti; Memento diei Sabbathi, ut sanctifices eum.

Unde est, quod scortatio & adulterium tam familiaria sunt, & à plurimis pro ludo saltè habentur? Quia non creditur Deo dicenti: Non mœchaberis: & Spiritui sancto minitanti: Scortatores & adulteros judicabit Dominus, Hebr. 13. v. 4.

Id quod de singulis peccatis intelligendum, quæ omnia ex in crudelitate, tanquam radice malâ propullulant. Videte proindè fratres, ne fortè sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis, discendendi à Deo vivo, Hebr. 3. v. 12. seqq.

Peccatum ex seipso non damnat, aliàs nemo mortalium salvaretur: Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei, Rom.

Vid. supr.
part. 1. p. 325

Rom. 3. v.
res, Chri
tuorum
cirum cor
damatio
3. v. 18.

Com, p
tam conse
dulces &
Gen. 4. v. 1
est incred
dicat in ver
quies re
us, Efa. 4
lic, & ho
1. Joh. 4. v
veritas sti

Quia
ad seduc
& fragile
cum hoc
credo q
tati me
mum q
1. 3. Phil.

Sequitur
I. E.
vno nemo
Thomas
cuius
vitis.
Sequitur
tam pat
potest
tam inge
14. v.

Rom. 3. v. 23. si verò in peccatis perseve-
res, Christum expiatorem peccatorum
tuorum rejicias, & sanctissimum ejus me-
ritum conculces, Hebr. 10. v. 29. id actu
damnationem infert, teste Christo, Johan.
3. v. 18.

Cain, primus ille parricida, facile gra-
tiam consequi potuisset, sed obstetit incre-
dulus & ex illa procedens desperatio,
Gen. 4. v. 13. Sic nullum peccatum majus
est incredulitate. Quando enim Deus
dicit in verbo suo: Delevi, ut nubem ini-
quitates tuas, & quasi nebulam peccata
tua, Esa. 44. v. 22. id impius credere recu-
sat, & hoc ipso mendacem facit Deum,
1. Joh. 5. v. 10. O quam grave ipsi erit ad-
versus stimulum calcitrare! Act. 9. v. 5.

Quia igitur omnes natura faciles sumus
ad seducendum, debiles ad operandum,
& fragiles ad resistendum, opus erit, ut
cum Apostolis sedulo oremus: Domine,
credo quidem, sed tu succurre increduli-
tati meæ, Marc. 9. v. 24. sic Dominus cala-
mum quassatum nobis confringet, Esa. 42.
v. 3. Phil. 1. v. 6.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fuit
I. *Ex Christi reversione*. Nam post dies
octo iterum erant discipuli ejus intus, &
Thomas cum eis: Venit Jesus januis
clausis & stetit in medio, & dixit eis: Pax
vobis. Hoc consolatione plenum est.
Sic enim probavit Dominus, se bonum
illum pastorem esse, qui reliquerit nona-
ginta novem oves in deserto, & vaderit ad
illam inquirendam, quæ perierat, Luc. 15.
v. 3. 4. Venit enim

1. *Spontè*, sicut adhuc hodiè omnibus
peccatoribus gratiam suam præveniendò
largitur. Non enim sufficientes sumus,
aliquid ex nobis cogitare, 2. Cor. 3. v. 5.
Sed Dominus est, qui operatur in nobis &
velle & perficere, Phil. 2. v. 13. oremus ergò
ex Jer. 31. v. 18.

2. *Oportunè*. Licet enim integrum octi-
dium apparitionem hanc suam differat,
& Thomam in incredulitate sua relin-
quat, artamen in tempore advenit, & in-
terea eundem in fide confirmat, ne planè
desperet in peccatis.

Inserviat *nostra consolationi*, ut, si hodie-
tenus Christus quandoque se abscondit,
& opem suam differt, ne desperemus: ve-
niens enim veniet, & non tardabit, Habuc.

2. v. 3.

3. *Miraculose*. Venit enim januis
clausis. Hic clarè perspicimus, nihil
ipsum prohibere, quò minus juvare
possit. Ipse enim tanquam Dominus
naturæ, non subiecit se legibus naturæ:
sed præ multitudine fortitudinis & robo-
ris, virtutisque ejus, neque unum deficit,
Esa. 40. v. 26.

Hoc gaudium in nobis exsusciter,
quando & ipsi nonnunquam propter
peccata nostra abscondere nos cogi-
mur, JESUS noster non relinquet
nos orphanos, Johan. 14. vers. 18. sed
ubique perumpet, & auxilium suum præ-
stabit nobis, ut in Jona in alvo cete
delitescente, Jon. 2. vers. 11. in tribus
viris in ardente fornace, Daniel. 3. v. 32.
in Daniele in lacu leonum, Daniel. 6.
vers. 22. In Petro in carcere, Actor. 12.
v. 7. aliisque luculenta exempla habemus,

yyy 2. quos

quos Deus supra omnium hominum cogitationes potenter liberavit. Sic adhuc hodiè, ubicunque locorum sumus, ad nos venturus, Psal. 139. v. 3. & omnibus diebus nobiscum futurus est, usque ad consummationem seculi, Matthi. 28. v. ult. Esa. 43. v. 2.

II. *Ex pacis appreciatione.* Steuit enim in medio Discipulorum, & dixit eis: Pax vobis. Hoc ipso Thomam confirmaturus est, se venire, non ut severum vindicem ad terrendum: sed ut benignum Mediatorem & Salvatorem ad exhilarandum: ideò pacem illi affert, quam ipsi & omnibus peccatoribus respicientibus acquirerit.

O vos mei! nos quoque nobili hoc bono indigemus. Peccata enim nos & Deum nostrum dividunt, Esa. 59. v. 2. Undique inimicitia nobis imminet: Supra nos est Deus iratus, infra nos infernus rictum diducens. Juxta nos omnes creaturae nobis insensæ sunt, in nobis peccata nos accusant, & tantum non ut grave onus in infernum deprimunt, Psal. 38. v. 4. 5.

Verùm Christus est Princeps ille pacis, Esa. 9. v. 7. delens, quod adversum nos erat, Chirographum, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, Colof. 2. v. 14. 15. ut nunc letabundi dicere queamus: Justificati fide, pacem habemus cum Deo, Rom. 5. v. 1.

Nihil nobis nocebit peccatum, quod Christus in sepulchro ob signavit, & justitiam sempiternam adduxit, Dan. 9. v. 24. Col. 1. v. 24.

Nihil Caecodæmon, Christus enim univerfa ejus arma abstulit, in quibus confidebat, Luc. 11. v. 22.

Nihil mors, Christus quippè absorpsit illam in sempiternum, Esa. 25. v. 8.

Nihil infernus, nam Christus ipsi lues factus est, Ol. 13. v. 14.

Videamus modò, ne pacem hanc violemus, sed in hoc potius confirmetur, ut palmam obtineat in cordibus nostris, Col. 3. v. 15. fiet hoc, si peccata declinaverimus, & pedes nostros direxerimus in viam pacis, Luc. 1. v. 80. hoc est vita inculparum operam dederimus. Non enim est pax impiis, dicit Dominus, Esa. 48. v. 22.

III. *Ex cicatricum ostensione.* In specie namque ad Thomam se convertit, inquit: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & adfer manum tuam, & mitte in latus meum; & noli esse incredulus, sed fidelis. Thomas planè proposuerat sibi, ut ante audivimus, non se resurrectionem Christi crediturum prius, quam ipsum oculis suis vidisset, digitos suos in cicatricum manuum, & manum suam in latus vulneratum, intulisset. Quod igitur ille desideravit, ipsi obtingit, adeoque eò efficacius convertitur.

Similem *φίλαρ. ὀφθαλμίας* Christus adhuc hodiè omnibus contristatis conscientis exhibet, quando illas ad agnitionem peccatorum perduxit, ostendit illis cicatrices & vulnera, quo ipso fides roboratur, & conscientia tranquillatur. Nam livore ejus sanati sumus, Esa. 53. v. 5.

Baalitæ olim solatium quæsierunt in suis vulneribus, si incidebant se coltris & lanceolis, donec perfunderentur sanguine, 1. Reg. 18. v. 28.

In Papatu quoque magni æstimantur vulnera Francisci, Virginis Claræ, Domini, de quibus multa fabulantur.

Sic

Sic non ignoramus quomodo Monachi flagellantes, seipsos usque ad sanguinem flagellent, & hoc modò sua & aliorum peccata expiare satagant.

Verùm frustrà id tentant. Christus enim propitiatio est pro peccatis nostris, 1. Joh. 2. v. 2. & solus torcular iræ divinæ calcavit, Esa. 63. v. 2. hanc suam gloriam alteri non dabit, Esa. 42. v. 8.

Quod si igitur requiem animæ invenire gestis, digitum fidei immittas oportet in vulnera & cicatrices Salvatoris tui Jesu Christi, cum Bernharo dicens: Turbarior, sed non perturbabor, quia vulnerum Christi recordabor.

Torquebor à probris meis,

Cor anxium dolebo:

Ast sint arenæ quot maris,

Pessum tamen non ibo.

Mortis recordabor tuæ

Et vulnerum cum sanguine Christi

Securus hinc latebo.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tibus absolvitur Regulis, ut sunt

I. *De Christo gaude*. Hæc in parte Apostoli nobis exemplo suopræcunt. Simulac enim Thomam conspiciunt exultantes dicunt: Vidimus Dominum.

Hæc hodie tenus adhuc Christiani, unica voluntas sit, ut sciat, Redemptorem suum vivere, & quomodo beneficia ejusdem per fidem sibi applicare debeat.

Mundi lætitia est impunita nequitia, ait Augustinus, & est ad momentum, Job. 20. v. 5. idè despicientes eam, cum Apostolis in Jesu nostro à mortuis resuscitato dele-

temur, & dabit nobis petitiones cordis nostri, Psal. 37. v. 4.

Mundanigaudium quærunt

1. *In divitiarum copiâ*. Hæc voluptas eorum, si prò mutua sint plena, eductentia de frumento in frumentum &c. Psal. 144. v. 13. seqq. Verùm vanum est hoc gaudium: nam moriendum tandem, & relinquenda alienis divitiæ sunt, Psal. 49. v. 18. quin & in hoc mundo accidit, ut dives opes suas amittat, operator est Dominus, Prov. 22. v. 2. Psal. 104. v. 28.

2. *In vita luxuriâ*. Exemplo est dives epulo, qui quotidie splendide epulabatur, Luc. 16. v. 19. Ita legimus, quod in nuptiis Wenzeslai Regis Bohemiæ, cum filia Imperatoris Rudolphi I. quotidie centum mille homines cibati sint.

Smyndirides tanta luxuriâ fuit, ut semper mille venatores & totidem coquos secum habuerit, iisque stipatus incesserit. Hinc est, quod Hieronymus ait: *Semper saturitati juncta est lascivia, vicina sunt venter & genitalia, pro membrorum ordine, ordo vitiatorum*. Vide Prov. 23. v. 32.

Sed quid in fine sequitur? Finis eorum interitus, Phil. 3. v. 19. Transierunt mundus, & concupiscentia ejus, 1. Johan. 2. v. 17.

Hoc probè perpendentes, si gaudere vultis, gaudete in Domino semper, Phil. 4. v. 4. Gaudete, quod nomina vestra scripta sunt in cælis, Luc. 10. v. 20. Exultate in salute Domini, Psal. 13. v. 7. exultate quod per Christum liberati & liberi estis, Joh. 8. v. 36. lætamini super eloquia ejus, Psal. 119. v. 162. lætamini quod in Domini domum ibitis, & stantes erunt pedes vestri in portis Jerusalem, Psal. 122.

v. 1. 2. qui enim hinc in tempore gratiæ ita gaudet: ille aliquando cum Deo & in Deo exultabit in æternum, Psalm. 16. v. ult.

II. *Vulnera inspice.* Hinc Thomam per vulnera Christi, ab incredulitate liberari & ad frugem perducì, audimus. Ubi nemo miretur, quod Dominus, qui post resurrectionem suam, corpore clarificato præditus fuit, has cicatrices & clavorum signa ostendere potuerit discipulis, rectè enim Beda hinc ait: Dominus non ex impotentia sanandi cicatrices servavit, sed ut victoriæ suæ circumferret triumphum. Lutherus in Postilla Domestica autumat, quod adhuc hodiè hæc vulnera & clavorum signa gerat, quando ad dextram Dei sedet, & interpellat pro nobis, Rom. 8. v. 34. ita ut Patri suo eadem ostendat, & dicat: Ah Pater, en manus & pedes meos! Quod si enim sanguis Christi coram Deo loquitur, quidni & vestigia clavorum?

Antipater, Herodis Magni pater, ut Josephus testatur, Imperatori Augusto in militia fideliter servierat, & multa periculosa vulnera in corpore suo acceperat. Cum verò ab invidis nonnullis calumniaretur apud Cæsarem, & præditionis insinularetur, ideoque ab Augusto compellaretur, nudato pectore dicebat: O Cæsar, nolo me verbis excusare apud te, sed ista vulnera, quæ suscepi propter te, loquantur pro me.

hò hò
Ira, si Dæmon infernalis, qui à calumniando Diabolus appellatur, te persuasurus est, Jesum tuum odio te prosequi, ne absterreatis: sed intueri sanctissima ejus vulnera, quæ propter te accepit: qui

quælo de amore suo magis te certiorè reddere potuisset! Nunquam illuxit clarius, quod nos dilexit Dominus, quàm in Christi passione & vulneribus. Ipse quippe ait: Majorem hæc dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis, Joh. 15. v. 14. Sed ille vitam pro nobis profudit, cum adhuc peccatores & inimici essemus, Rom. 5. v. 8. & adhuc ita affectus est, ut iteratò pati mallet, quàm ut quis in peccatis suis desperet, ut Ignatius scripsit.

Laudatissimus Imperator Constantinus M. cicatrices Martyrum osculatus dicitur, quas sub Maximino acceperant.

Sic & tu, mi Christiane! Christum accede & osculare manus ejus, in quibus te descripsit, ut oblivisci tui nequeat, Esa. 49. v. 16. latus ejus, quod sibi aperiti sivit, ut verà fide in eo occultes te, sicut columba in scissuris petrae, Cant. 2. v. 14. ibi absconderis à superbia viri, Psal. 31. v. 21. Ita ut portæ inferorum non prævaleant contra te, Matth. 16. v. 18. *Nihil est tam efficax, ad curanda conscientie vulnera, quàm vulnèrum Christi meditatio sedulà.* ait Bernhardus, Esa. 53. v. 5.

III. *Fide, & non vide.* Id vult Christus, ad Thomam inquitens: Quia me vidisti Thoma, credidisti: beati, qui non viderunt, & crediderunt.

Idem nobis dictum esto: per fidem enim ambulamus, non per speciem, 2. Cor. 5. 7. optimum igitur est, ut, si quid quod captum nostrum transcendit, in Scripturâ nobis proponitur, in captivitatè redigamus omnem intellectum, in obsequium Christi, 2. Cor. 10. v. 5. dicentes cum Ezechiele, qui à Deo interrogatus: Putasne vivent

vivent offensa? respondit: Tu nosti modum Domine, Ezech. 37. v. 4. Scrutator enim Majestatis, opprimetur à gloriâ, Prov. 24. v. 27.

Impiis verò à Thomâ discamus, ut quæ Christus omnibus in genere acquisivit, nobis in individuo applicemus, dicentes: Dominus meus & Deus meus. Hæc fidei natura & proprietas est, Diaboli & ipsi credunt, Christum Dominum & Deum esse, Jac. 2. v. 19. Sed non salvantur,

quia non dicere possunt: Dominus meus // & Deus meus. Non enim Christus Angelos, sed semen Abraham assumit, Hebr. 2. v. 16.

Veri verò Christiani Christum pro Domino & deo suo habent, certissima fiducia præditi, quod non modò se hîc potenter defensurus, sed & æternum salvaturus sit, ut cum eo fiat & maneat semper.

Fiat id, per Christum, Dominum nostrum, Amen!

IN DIE FESTO S. STEPHANI PROTO-MARTYRIS.

Evangelium Matth. 23. v. 25--39.

EXORDIUM.

Cum tempus instaret, quo Deus populum Israel ex Ægypto educere & liberare decreverat, apparuit Dominus Mosi in flammâ ignis, quâ rubus ardebat, & non comburebatur: Propterea Moses in admirationem raptus, dixit: Vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. Cernens autem Dominus, quòd pergeret ad videndum, vocavit eum Deus de medio rubi, & ait: Ne appropies huc, solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim in quo stas, terra sancta est. Et postea ait: Ego sum Deus Patris tui &c. Exod. 3. v. 2. seqq.

Mirabilis hæcce apparitio non inconcinne cum incarnatione Domini nostri Jesu Christi comparari potest.

Nos miseri homunciones & ipsi quasi captivi tenebamur in servitute Ægyptiaca

Vid. J. Pfeiff. theol. in Nuce p. 27. 28.

sub potestate tenebrarum, Colos. 1. v. 13. & Diaboli mancipia in æternum fuissetis, Hebr. 2. v. 15. At Deus, qui dives est in misericordia, Eph. 2. v. 4. gratiose nos respexit, & in plenitudine temporis misit Filium suum, Gal. 4. v. 4. qui in libertatē nos restituit; æterna redemptione inventa, Heb. 9. 12.

Ibi apparuit Deus Mosi in flammâ ignis, ignis siquidem est, & quidem consumens, Deut. 4. v. 24. imprimis quando venit iram suam effusus, ut Sodomitæ experti sunt, Gen. 19. v. 24. Quia verò hîc non veniebat, ut iram effunderet, sed pressos Israelitas è servitute Ægyptiaca liberaret, in ejusmodi rubo videbatur, qui quidem ardebat, sed non comburebatur.

Sic & æternus Dei Filius in hunc mundum venit, non animas perdere, sed servare, Luc. 9. v. 56. idè carnem & sanguinem nostrum assumpsit in unitatem Personæ, eique